



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

151. Fer. 5. De Beatoru[m] infinita laude Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

264 *Feria 5. Domin. 4. post Pascha*
charitatis in coelis, gaudere de bonis alterius
sicut de suis. D. Anselmus ait: *Si cor hominis*
vix capit gaudium suum, quomodo capax erit tot
& tantorum gaudiorum? Tantum ergo crescent
gaudia in Beatis, quantum crescit numerus
Beatorum, quanta erunt gaudia Beatorum:
sunt autem gaudia Beatorum tam magna, ut
non possint mensurari: tam multa, ut non
possint numerari: tam copiosa, ut non possint
finiri: tam pretiosa, ut non possint aesti-
mari. O quantum erit hoc gaudium, quod
erit immensurabile, innumerabile, infinitum,
inæstimabile! & quia majus Beatorum gau-
dium in coelis oritur ex majori abstinentia
gaudiorum in terris, resolvam me ad eam. O
gaudium super omne gaudium, gaudium vincens
omne gaudium, extra quod non est gaudium!
August. Soliloq. c. 32.

MEDITATIO CII.

Feria 5. Dom. 4. post Paschæ.

De Beatorum infinita laude DEI.

Aspiciam os Beati cujusque, sicut citha-
ram chordarum innumerabilium, mira-
& incogitabilis suavitatis laudantium Deum.
est enim effectus gaudij infinita laus Dei. Pa-
tam eam intelligere, & consequi.

Conf. 1. Cum major laus procedat ex ma-
jori amore, & gaudio, quod habetur de pe-
sopa

sona, & ejus rebus, & Beati nimio fervore
charitatis, nimiaque delectatione Dei repleti
sunt, infinite Deum laudant, confitentur,
quoniam bonus, & jubilant primo propter
Deum, ut est in semetipso, voce magna, non
clamosis, sed amoris, illud trisagium concin-
nentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Duplex est
laus Dei, increata, essentialis, & notionalis,
Dei, & personarum Dei, Altera creata lau-
dantium Dei, quanta cuique facultas est,
Christi, B. Virginis, Sanctorumque omnium,
cum quibus laudes meas uniam, optans Deum
ab omni creatura laudari, saepe repetendo:
*Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto; Sicut
erat in principio; hic uniam omnem laudem
creatam increatae.*

Conf. 2. Alteram causam laudis infinitae
Dei pro beneficio creationis. Apoc. 4. *Dignus
es Domine Deus noster accipere gloriam, & ho-
norem, & virtutem: quia tu creasti omnia, &
propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.*
Dignus es Domine, ut omnes, tam Angeli,
quam homines, Majestatem tuam praedicent;
dignus, ut omnium ore omnes omni cultu,
ac reverentiam prosequantur laudem tuae
immensa potentiae, & fortitudinis, cui omnes
existentiam suam debent.

Conf. 3. Tertiam causam laudis infinitae
Dei, pro beneficio Redemptionis, Apoc. 5.

M

Dignus

266 FERIA 6. DOM. 4. post Pascha.

Dignus es Domine, &c. quoniam occisus es; & redemisti nos sanguine tuo. Vox, quoniam significat causam meritoriam: Christus enim merito passionis & Mortis suæ accepit à Deo potestatem eligendi ex omni tribu, quos vellet, ad gratiam, & gloriam: cum quibus nostras voces admitti deprecabor. Quæ laus, cum sit premium Sanctorum, nolo æstimare laudem humanam, nec in ea delectari, sed in solo Deo, & laude, quam daturus est, juxta illud I. ad Cor. c. 4. Tunc laus erit unicuique à Deo.

MEDITATIO CLII.

FERIA 6. DOMIN. 4. post Pascha.

De Beatorum æterna gratiarum actione.

Audiam Beatorum actionem æternam gratiarum, ob beneficia naturæ, gratiæ, & actiones gratiarum fiunt hic, ibi actiones et toto. Petam eas intelligere, & consequi.

Conf. 1. Quomodo virtus gratitudinis sit in agnitione, memoria, & æstimatione beneficiorum digna. 2. In gratiarum actione. 3. In compensatione: & hæc gratitudo tunc vera est, quando quis agnoscit se indignum donorum omnium: atqui Beati agnoscunt omnia se habere per Christum.

Conf. 2. Quomodo fiat grati pro beneficijs cõmunibus, Creationis, Redemptionis, Remu-